



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LXIII. Vtrùm confratres capellæ intra limites parochiæ noviter erectæ, possint petere se manuteneri in quasi possessione usus campanarum adversùs Parochum prohibentem. Et ad quem spectent ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

98 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

- 16 lius. † Non tamen sub prætextu visitationis, poterit Episcopus procedere in forma iudicii, nec processum formare, nisi data capituli officialium negligentia iuxta formam transactionis. Rot. decis. 168. part. 1. recent.
- 17 Quod autem attinet ad capitula jurisdictione carentia, certum est illis nihilominus competere ius corrigendi, & castigandi, seu coercendi personas in Ecclesia sua habitatas; veluti per subtractionem fructuum, & distributionum, seu vocis in capitulo ad tempus; quod habet in se quandam jurisdictionis speciem. Abbas in cap. cum contingat, colum. 3. numero 28. de for. competent. & habetur in pragmat. functione, tit. de concubinariis, §. quod si hi ad quos, in verb. pertinet, & notatur in cap. quanto, de offic. Ordinarii, & dixi cap. precedenti, numero 10.
- 18 Quia verò pro parte ejusdem capituli quaesitum fuit, an & quando Episcopus possit congregare capitulum, & quam in eo auctoritatem habeat? Respondum fuit, posse Episcopum convocare capitulum in loco capitulari consueto, canonicorum vota exquirere, & collectis votis conclusionem elicere; exceptis tamen casibus, in quibus de ejus, aut suorum interesse agitur: ut notat Barbof. de Episcop. part. 3. allegat. 73. numero 16.
- 19 Intellige ut capitulum convocare possit Episcopus in casibus, in quibus iudex esse potest; secus in aliis, in quibus iudex esse nequit: ut ibidem Barbof. testatur d. allegat. 73. numero 18. & ad Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. numero 42. & seq. In quo capitulo vocem non habebit Episcopus, ut probatur ex verbis Concilii, vota exquirat. Barbof. dist. 20 sess. 25. cap. 6. num. 47.



CAPUT LXIII.

Utrum confratres capellæ intra limites parochiæ noviter erectæ, possint petere se manuteneri in quasi possessione usus campanarum adversus Parochum prohibentem. Et ad quem spectent oblationes quæ fiunt in illa capella. De custodia clavis Ecclesiæ Divo Petro consecratæ, & elemosynæ quæ datur ob applicationem ferri candentis, iis qui laborant morfu canis rabidi. Et utrum nova capella possit ædificari in præjudicium Ecclesiæ parochialis. Et in quo consistent jura parochialia, tam circa sepulturas, quam alia: ad explicationem clausulæ, *salvâ justitiâ Ecclesiæ Parochialis.*

SUMMARIUM.

- 1 Cura campanarum Ecclesiæ pertinet ad officium custodis.
- 2 Confraternitas, quæ est in quasi possessione usus campanarum, potest petere se in ea manuteneri.
- 3 Quando agitur de cultu divino, non potest dici materia facultativa.
- 4 Pulsatio campanarum permittitur confraternita-

- tibus in eorum capellis, sine præjudicio fratrij Ecclesiæ parochialis.
- 5 Pulsatio campanarum spectat ad inferiores clericos.
- 6 Non est permittenda laicis pulsatio campanarum sine licentia custodis Ecclesiæ, vel presbyteri parochialis.
- 7 Pulsans campanas sine licentia presbyterorum, dat operam rei illicitæ; idcirco si sequatur homicidium, tenetur. Fallit stante consuetudine in contrarium.
- 8 Oblationes spectant ad Parochum, non ad Rectorem capellæ: distingue ut ibi.
- 9 Ex perceptione oblationum arguitur curam ad eum, qui illas percipit, spectare.
- 10 Elemosina, quæ datur ob applicationem clavis Ecclesiæ ad curandos canum morsus, pertinet ad Parochum: & de hac clavis applicanda consuetudine.
- 11 Administratio oblationum ad certum usum statarum pertinet ad Parochum.
- 12 Custodia clavium Ecclesiæ non spectat ad laicos.
- 13 Ostiarii ordo sacer est, & ad eum pertinet custodia clavium Ecclesiæ: & alia, de quibus ibi.
- 14 Per traditionem clavium ostiario factam imputatur character, secundum Canonistas, contra Theologos.
- 15 Indignum est laicos munus exercere, quod Christus ipse exercere voluit, dum dixit, Attolite portas, &c.
- 16 Nova capella sine Episcopi licentia nequit edificari.
- 17 Ecclesiæ parochialis potest nuncupare novam vel ædificanti capellam, intra limites suæ parochiæ.
- 18 Cum quibus moderationibus, & conditionibus concedi possit facultas novam capellam, vel Ecclesiæ intra limites parochiæ erigendi. Et quæ sit vis, & effectus clausulæ, *salva justitiâ Ecclesiæ parochialis.*
- 19 In quo consistent jura parochialia.
- 20 Jura parochiæ primo consistunt in eo, quod debet diebus festis Missam audire in sua parochia: sed hoc est de consilio, non de præcepto.
- 21 Secundò, ut parochiani sacramenta ab Ecclesiâ parochiali recipiant.
- 22 Tertiò, ut ius sepeliendi competat parochiæ, nisi sepultura fuerit in alia Ecclesiâ electa, vel alibi sit sepulchrum majorem.
- 23 Quartò, ius quartæ funeralis competat parochiæ, quæ in hoc habet intentionem fundatam.
- 24 Quintò in jure decimarum.
- 25 Sextò in jure percipiendi oblationes, & alias spirituales obventiones.
- 26 Utrum Ecclesiæ parochialis possit facere officium in aliena Ecclesiâ, ad quam corpora defunctorum portantur tempore funeris? Refertur sententia Rota, quod parochia non possit ibidem officium facere; sed hoc spectat ad illam Ecclesiâ, quæ corpus sepelitur.
- 27 Parochi non possunt cogere ut officia necentur, & finis anni, pro mortuis fiat in eorum Ecclesiâ: quando corpus sepultum est in alia Ecclesiâ.

Prior quidam & Parochus cupiens evitare præjudicium, quod iuribus suis inferrebat per erectionem confraternitatis, & capellæ noviter erectæ intra limites suæ parochiæ, varias propoluit difficultates, quarum resolutio ex sequentiis conclusionibus elicitur.

- 1 Prima ergo conclusio est, quod licet regulariter cura campanarum ad populum convocandum, ut divina audiat officia, pertineat ad officium custodis, *capit. 1. de offic. custod. in illis verbis: In canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono iubente, ab eo pulsantur, &c.* Si tamen aliqua confraternitas, vel capella sit in quasi possessione usus campanarum cuiusdam Ecclesiæ, in ea manuteneri debet: cum illa possessio non sit acquisita per modum facultatis, et attento quod agitur de cultu divino, quo casu non est materia facultativa. Abbas in *cap. suam nobis, numero 8. de simon. Ludov. decif. 162. in addit. liter. C. versic. tertio ubi agitur. Unde in dicta decif. 360. conclusum fuit, dandam esse confraternitati reintegrationem in quasi possessione recipiendi ornamenta necessaria pro divinis officiis celebrandis; necnon usus campanarum ab Ecclesiâ collegiata ejusdem loci.*
- 4 Secunda conclusio. Casu quo pro parte confraternitatis probata fuisset legitima quasi possessio usus campanarum: illa tamen non deberet concedi, nisi cum clausula, *sine prejudicio servitij Ecclesiæ parochialis*, argumento *text. in extravag. quia cum clero, de offic. custod. ubi prohibetur religiosis, ne in futurum plures, sed unam duntaxat campanam habeant, ne cultui divino & officiis Ecclesiæ præjudicium fiat: & in capit. potentibus 10. de privilegiis, ubi Templariis, Hospitalariis, & aliis permittitur usus campanarum; ita tamen ut non fiat præjudicium aliis Ecclesiis.*
- 5 Tertia conclusio: Pulsatio campanarum spectat ad clericos inferiores: *capit. periculis, 26. distinct. Abbas in capit. Ioannes de homicid. + Ideo talis pulsatio campanarum non est laicis, sed solis clericis permitenda: cum omnes Ecclesiæ parochiales Rectores teneantur secum habere clericum inferiorem. Laici autem sine permissione custodis Ecclesiæ campanas pulsare non debent, vel nisi ex licentia presbyteri parochialis. + Alii qui campanas pulsant, dicitur dare operam rei illicitæ: ut notat Abbas in dict. cap. Ioannes, ubi dicit, quod si laico campanam sine licentiâ presbyteri pulsante, tintinnabulum cadens hominem occidat, laicus punitur, uti dans operam rei illicitæ. Quod tamen intelligendum est, nisi consuetudo esset in contrarium, ut laici campanas pulsarent, ut ipse fatetur *num. 4. in fine.**
- 8 Quarta conclusio. Oblationes, quæ sunt in capella noviter edificata, pertinent ad Parochum, non autem ad Rectorem capellæ. Barbof. *de offic. Parochi, cap. 24. num. 22.* ita ut si quid relictum fuerit intuitu ipsius capellæ, ipsi quidem capellæ debeatur, ad usum videlicet ad quem oblationes factas esse constet: si verò non constet, in dubio spectant ad Parochum. Ad ipsum tamen Parochum in omni casu spectat administratio istarum oblationum: quia si proprietas ipsius est, quando non dantur ad certum usum; multo magis illarum administratio, quando dantur ad usum definitum. Barbof. *dict. cap. 24. n. 30. Joan. Bapt. Ferrer. consil. 143. n. 4. Rota decif. 489. num. 3. part. 3. recent. + Ubi ex receptione oblationum facta per Rectorem, arguitur curam apud ipsum esse; non autem apud capellam, qui oblationes non percipiebat. Borell. in summa omnium decif. lib. 1. tit. 18. num. 22. + Quod locum eadem ratione habet in omnibus obventionibus spiritualibus, qualis est ea quæ procedit ex elemosinis, quæ dantur propter applicationem clavis serventis Ecclesiæ sancti Petri, factam iis qui morsu canis rabio-*

si læsi fuerunt: prout de omnibus obventionibus spiritualibus generaliter loquitur Troil. Maluct. in *tract. de oblation. part. 4. num. 11. fol. mibi 317. volum. 15. tractatum antiquior.* Et ita determinatum fuit per Rotam Romanam, oblationes spectare ad Parochum, nisi fuerint in determinatum usum datæ. Et eadem, ac majori ratione ad eundem Parochum spectat administratio oblationum, quæ in certum usum erogatæ sunt: coram Merlino *decif. 37. a num. 9. ad 12. part. 5. recent.*

Quinta conclusio. Claves Ecclesiæ, sive templi, in manibus laicorum esse non debent: cum pro custodia clavium Ecclesiæ institutus fuerit ordo Ostiarii, qui unus est ex minoribus ordinibus: ille enim est, qui januis templi præficitur: *capit. clerici, §. Ostiarii 21. distinct.* Et ideo Ostiarii munus est, sacras aedes tueri, aperire & recludere, & omnia quæ intus & extra sunt custodire; fideles recipere, & infideles ac excommunicatos repellere. Ideo ei qui ad hunc ordinem promovetur, verba hæc per Episcopum in traditione clavium proferuntur: *sic age quasi redacturus Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur: + & Ostiario imprimuntur character in traditione clavium, de quo Grass. part. 2. lib. 1. cap. 9. num. 18. & num. 6. Carol. de Grass. de effectibus cleric. in prelud. num. 283. Canonistæ siquidem magis communiter tenent imprimi characterem, contra Theologos. Rot. decif. 50. num. 6. & 24. part. 5. recent. + Indignum igitur est, laicos id munus exercere, quod Christus ipse exercuit, dum a templo eiecit vendentes, & ementes; & dum dixit, Attollite portas, & elevamini porte æternales, &c. ut dicit de Grass. loc. citat. & notatur in cap. Ostiarii, 23. distinct.*

Sexta conclusio. Nova capella edificari non potest sine licentiâ Episcopi. Gloss. in *cap. placuit, in verb. dotem 1. quæst. 2. Calderin. consil. 20. de iure Patronat. Ricc. in praxi aurea variar. resolu. cap. 11. per tot. textus est in authent. ne quis orator. citr. scient. Episc. edific. collat. 5.*

Septima conclusio. Ecclesiâ Parochialis, seu Rectori illius, potest novum opus nunciare edificanti novam Ecclesiâ intra Parochiæ suæ limites, propter interesse quod habet ratione oblationum, sepulturarum, & aliarum obventionum: ut tenet, & decifum refert Guid. Pap. *decif. 360. per totum.*

Octava conclusio. Non potest intra limites parochiæ, inaudito Parocho, nova Ecclesiâ edificari, cum in omni licentiâ quæ conceditur in simili casu, apponi soleat clausula, *sine prejudicio Ecclesiæ Parochialis*: vel *salva iustitia Ecclesiæ parochialis*: & quod excipiantur dies Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes; in quibus ibi celebrare non liceat. Barbof. *de potest. Paroch. lib. 1. cap. 1. num. 26. & cap. 11. numero 1. & 2. ubi refertur sacra Congregationis declaratio.*

Nona conclusio. Jura Ecclesiæ parochialis sunt ea quæ sequuntur, juxta Abbat. in *rubric. de Paroch. num. 2. + Primo, ut Parochiani diebus festivis missam audiant in propria parochia: cap. 2. de Paroch. Sed hoc non observatur; imò satisficit præcepto, audiendo missam in alia Ecclesiâ; neque possunt Parochi cogere suos parochianos, ut in propria parochia Missam audiant: hoc enim est de consilio, sed non de præcepto, prout sacram Congregationem determinasse refert Prax. Episcop. part. 1. in verb. Missa, §. 6. + Secundo, jus parochiæ in eo consistit, ut parochiani in Ecclesiâ parochiali, seu ab*

- illius presbyteris sacramenta percipiant: capit. nullus, de Paroch. can. Episcopus in diocesi 7. quest. 1.
- 22 † Tertio, in iure sepeliendi, nempe ut omnes Parochiani in Ecclesia Parochiali sepeliantur, nisi alibi sepulturam eligant, vel alibi sit sepulchrum maiorum, cap. omnis, de penitent. & remiss. Clement.
- 23 dudum, cum ibi notat. §. verum, de sepulturis. † Quarto, si quis in alia Ecclesia sepeliatur, Parochi jura consistunt in quarta funerali: dist. Clement.
- 24 dudum. † Quinto, in iure decimarum. † Sexto, in iure oblationum, & aliarum obventionum: de quibus plura dici possent, quæ consilio omituntur, cum non concernant principalem hujus capituli materiam. Quæ omnia post Abbatem in rubric. de Parochiis, recenset Rota decis. 552. numero 3. & seq.
- 26 part. 5. recent. † Ubi etiam notanter concluditur, quod quando defunctorum corpora delata fuerunt in Ecclesias non Parochiales, in quibus sepultura fuit electa, Parochus non potest ibi facere officium, cum hoc non sit de iuribus Parochialibus: ut ibidem concluditur num. 23. & multis sequentibus. †
- 27 Sicut nec possunt Parochi cogere, ut officia novendialia, & finis anni, fiant in Ecclesia Parochiali, si sepultura alibi electa sit. Rot. in Elnensi Infirmum Parochialium, 6. Junij 1631. coram Illustrissimo Domino Quirpo, inserta post 7. partem Diana.



CAPUT LXIV.

De professione monialis fraudulenta, facta in articulo mortis eo animo, ut bona ad Monasterium devolverentur in præjudicium substitutorum, vel venientium ab intestato. In quibus casibus professio in articulo mortis sit valida, finito, vel non finito anno novitatus: & de variis conjecturis fraudis in hac materia concurrentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Professio Novitij in mortis articulo, ante elapsum novitatus annum, ex constitutionibus Pontificiis est valida quoad animam; sed non quoad bona.
- 2 Professio illius, qui integro novitatus anno fuit infirmus, facta lapsa anno novitatus, valida est fraude cessante, ex veriori sententia: quamvis novitatus mox esset moriturus.
- 3 Professio in ordine minimorum est valida: quamvis novitatus toto anno propter infirmitatem carnibus, ovibus, & lacticiis usus fuerit.
- 4 Fraus non probatur ex hoc solo in præjudicium successorum, vel substitutorum, quod in mortis articulo matrimonium, vel professio facta fuerit.
- 5 Professio accelerata, etiam finito novitatus anno, non nocet successoribus, si fraudis adsint conjecturae.
- 6 Substitutus non excluditur per Monasterium, quando adsunt conjecturae fraudis.
- 7 Conjectura fraudis oritur ex professione facta in mortis articulo.

- 8 Cur potius colligatur fraus ex professione facta in mortis articulo, quam ex matrimonio.
- 9 Aliud est professionem esse validam quoad animam, aliud quoad successionem.
- 10 Fraus facilius colligitur, quando tractatur de præjudicio tertij.
- 11 Matrimonium carnale plus operatur quoad successiones, quam spirituale.
- 12 Gesta tempore magna infirmitatis, presumuntur facta in fraudem.
- 13 Ex multiplicatis, & affectatis actibus elicitur fraudis conjectura, veluti ex resignationibus multiplicatis.
- 14 Professio clandestine facta presumptionem habet fraudis.
- 15 Fraus presumitur adversus eum qui promissa non servat.
- 16 Professiones monialium non solent redigi in contractum publicum coram Notario, & testibus. Ex actibus precedentibus cum cautela, & subtilitate gestis, fraus presumitur.
- 18 Ad professionem superior admittens novitum incapacem functionis religionis, peccat; sed professio est valida.
- 19 Tempus professionis, lapsa novitatus anno, perrogari ex causa potest, & debet.
- 20 Ex nimia precipitatione fraus colligitur.
- 21 Dotem monialis precipitante professæ non accipere Monasterio, fuit sæpe decisum.

UT certior habeatur resolutio propositæ difficultatis, super professione cujusdam puellæ, quæ licet exacto novitatus anno facta fuerit; non pauca tamen fraudis & precipitationis proponuntur conjecturae: præsertim quod cum integro novitatus anno continua febre hectica, & multa cecitate laborasset, die 4. Augusti professionem emisit; & paulo post, nempe die 16. ejusdem mensis, & vita migravit: varij casus considerandi sunt.

Primus casus est, quando novitatus in articulo mortis constitutus, nondum elapso probationis anno, professionem emisit: quod facere potest ex privilegio Pij V. religiosi sancti Dominici concessit, prout in ejus constitutione 109. edita anno 1570. Quod privilegium aliis etiam religiosi ordinibus communicatum fuit: & hoc casu, certum est professionem validam esse duntaxat pro consequutione indulgentiarum, & solatio animæ; non autem ut sic professus bona sua transferat in monasterium: prout declarat Mirand. in manual. prælator. regulam. 1. quest. 22. artic. 10. & in istis terminis loquitur Ricci. in prax. aur. cap. 493. in princip. ubi quæritur de numero 6. quamvis Sanch. in præcep. decalog. ill. §. cap. 4. num. 16. contraria sit opinio, nempe eodem modo succedere Monasterium huic ex privilegio proficenti, quo succederet, si finito novitatus anno professionem emisisset. Verum opinio ista mihi jure non probatur, nec eam iudex æquus admittere debet; cum non alia fuerit summi Pontificis intentio, quam ut novitij, aut novitæ, dum morti viciniore sunt, beneficio religiosorum quoad animam, & forum interius perfruantur, & majori cum solatio Deo suo animam reddant: non autem ut proximiorum successioni fiat præjudicium; imò & nova professione opus est, si finito novitatus anno pristina sanitas redierit, ut notat Hieron. Rot. ric. in quest. regul. cap. 101. num. 40. per jura, & rationes ibi allegatas.

Secundus casus est, quando monachus, aut monialis, finito